



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput II. Attributa, & qualitates Scientiæ Mediæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

volubilitatem, superfederamus; non enim sumus Promethei æternum affixi earundem cognitionum, eorundem discursuum rupibus: DEUS autem immutabilis in suis actibus, quando in tempore docet nos per viam nostri discursus aliquam veritatem, non repetit discursum, quem olim habuerit, quâ nunquam habuit illum.

XXI. Hinc 2.^o non nego DEUM cognoscere totum objectum expressum his terminis. *Datur unio; ergo dantur extrema: Omne animal est vivens. Omnis homo est animal; ergo omnis homo est vivens.* Sed imprimis unico simplici intuitu scit ista omnia respectivè; ergo in mente divina nequè datur antecedens formale, nequè consequens formale, nequè formalis illatio; licet ista omnia sonent in verbis nostris, & nos per speciem istorum apprehendamus simplicissimum illum intuitum divinum. Reflexa namquè Theologica ratio cohibere debet directas, & statim erumpentes apprehensiones. Deindè semper viget ratio data, scilicet: *Quamvis multoties nequeat DEUS agnoscere aliquid, nisi agnoscendo simul illationem illius ex alio, hoc tamen provenit ex connexionem ipsa, quasi materiali, & enitativa, qua unum præsupponitur ad alterum; sed non ex eo, quod posito illo, utatur DEUS hoc altero, quasi luce manifestante, aut manu pendente illud alterum.*

CAPUT II.

Attributa, & Qualitates Scientiæ Mediæ.

XXII. **P**ost multa audita, & lecta spatio ferè 30. annorum argumenta hac super re, plerâque ex illis deprehendo proficisci ex non rectissima intelligentia divinæ hujus scientiæ: semel autem vitata prima apprehensione rei, & accedente non piissima affectio- ne, mirum non est, quod res appareat acclivis. Disputavi rem hanc more Philosophico Disp. 3. de Anima cap. 1. & 2. Nunc autem more Theologico sex propositionibus circumscribam qualitates omnes, & attributa hujus præscientiæ, ut vel minimos articulos illius intuearis, & in unoquoque advertas, in quo peccent argumenta contraria.

R. P. de Ulloa, Theol. Tom: 1.

N 2

XXIII. Prima propositio. Scientia mediæ est notitia terminativè conditionalis, qua non conjecturaliter, sed infallibiliter agnoscit DEUS, quid unaquæque Voluntas ageret, quid non ageret in individuo, & quoad omnes proprias circumstantias, & in unoquoque instanti, si talem, vel talem haberet libertatem indifferentiæ: Et hoc cognoscit independenter ab omni decreto, subjectivè absoluto, id est actu existente, & terminativè conditionato, quo efficaciter omninò, & resolutè velit, eam voluntatem pro eo casu agere illud, quod actura prævidetur, vel non agere illud, quod non prævidetur actura. Tota controversia scientiæ mediæ devolvitur ad hæc duo prædicata, etiam maximè ad 2.^{um} nempe ad independentiam à Decreto dicto. Hac de causâ remittam utrumque ad capita subsequentiâ, ubi fusè probabuntur. Quando hæc præscientia assumit præ hypothesi objectiva libertatem creatam, & præ conditionato aliquod exercitium illius, est *scientia mediæ directæ*. Undè quando præ fundamento argumenti contrarii obijciatur scientia, quæ non sit id generis, negetur strenuè suppositum argumenti, quia non impugnat, quod dicimus. Quando assumit præ hypothesi objectiva libertatem divinam, & præ conditionato exercitium aliquod illius (omne quippe contingens determinatur vel à DEO, vel à Creatura, & nullum prorsus contingit casu) tunc est scientia mediæ libera ipsi DEO, solèturque vocari *scientia mediæ reflexæ*: Sed non semper propriè, quia vel illa libertas divina assumpta in hypothesi constituitur per scientiam mediæ directam, v.g. *Si existat divina libertas constituta per scientiam mediæ de inefficacia auxiliû A, non conferret illud Deiparæ.* Et tunc est verè scientia mediæ reflexæ, habet namquè præ objecto Directam. Vel non constituitur per dictam scientiam mediæ directam v.g. *Si DEUS habeat libertatem constitutam per visionem ignis, ipsi concedet calorem; quem appetit. Si DEUS habeat libertatem constitutam per visionem appetitus, quo ignis exigit comburere talem, vel talem Martyrem, non annuet ei exigentiæ.* Non enim constituitur per scientiam mediæ directam omnis omninò divina libertas; sed illa sola, quæ est libertas ad

ad largiendum auxilium, ad prædestinandum, &c. Tunc inquam ista scientia media non vocatur propriè reflexa, quia non habet pro objecto aliam scientiam mediam; sed solum constitutiva illius individuae libertatis divinæ, quorum nullum est scientia media.

XXIV. Ad hanc reducuntur omnes veritates conditionales, quarum hypothetis connectitur, aut repugnat tantum physicè conditionato objectivo. v. g. *Si existat ignis, habebit calorem. Si existat accidens, erit in subiecto.* Cum enim DEUS eadem sanctitate, ac facilitate, qua annuit, possit renuere naturalibus rerum exigentiis, liberum est DEO determinare, vel impedire istas omnes veritates: secus quando connexio, aut oppositio est Metaphysica. Ergo licet DEUS agnoscat per scientiam necessariam, quod si existant istæ res, dabuntur istæ exigentiæ, non tamen fecit per scientiam necessariam, sed per contingentem, quod si existant istæ causæ naturales obtinebunt terminos suæ exigentiæ. Deindè non semper per scientiam visionis, quia etiam, quando non existunt istæ hypothetis, & ista conditionata, potest DEUS scire veritates istas conditionales, quæ ut tales nihil ponunt inesse, & consequenter præcisè ut tales, non egent actuali decreto annuendi eis exigentiis pro casu quo existant; Præterquam quod actuale hoc decretum efficax officeret divinæ libertati immediatæ tunc existenti; ergo agnoscit istas veritates physicè necessarias, aut impossibiles, per scientiam terminativè conditionatam, non innixam actuali decreto; ergo per scientiam mediam, non quidem directam, sed lato modo reflexam, id est habentem pro hypothesi divinam libertatem constitutam tali, vel tali scientia visionis.

XXV. Explicatur. Istæ veritates reddunt hunc sensum *Si DEUS habeat libertatem constitutam visione ignis applicati passivo, habebit decretum concurrenti ad combustionem. Si habeat libertatem constitutam visione accidentium panis post consecrationem, non habebit decretum annuendi exigentiæ, quam habent erga substantiam Panis.* Porro DEUS habebit, vel non habebit hujusmodi decreta purè, & præcisè quia volet, quia est liberrimus ad utrumvis (non excludo rationes motivas, sed rationem stri-

ctè à priori, hoc est omninò antecedentem, & Metaphysicè connexam cum uno determinatè, utpote adversam immediatæ libertati indifferentiæ) cumquè soli DEO sit liberum habere vel non habere ejusmodi decreta, idcirco soli DEO sunt liberæ ejusmodi scientiæ mediæ; non quia actu velit, aut nolit objecta illarum; sed quia, casu quo haberet eas libertates, haberet eam volitionem, aut nolitionem. Itaque quando dicimus scientiam mediam non esse liberam DEO, loquimur de scientia media directa, id est habente pro hypothese totam, & solam libertatem creatam, & pro conditionato exercitium hujus.

XXVI. Rursus hæc scientia media directa est duplex, una affirmativa conditionati v. g. *Si Judas habuisset libertatem A, egisset penitentiam.* Altera negativa ejusdem v. g. *Si Petrus habuisset libertatem B, mansisset in peccato, id est non egisset penitentiam.* Ultravis potest esse duplex, una assumens pro hypothese libertatem constitutam auxilio supernaturali, quod continget, quando conditionatum sit opus conducens ad salutem. Altera assumens libertatem purè naturalem, nullo auxilio speciali constitutam; nam cum non solum dentur actus liberi supernaturales, sed etiam naturales, & non solum dentur libertates constitutæ auxilio supernaturali, sed etiam præscindentes ab illo, de utrisque debet scire DEUS, quid agent, quid non agent si existant; ergo de utrisquè habet DEUS scientiam mediam directam; ne quidquam fugiat infinitam perspicaciam mentis divinæ; ergo aliqui actus scientiæ mediæ assumunt in sua hypothese objectiva auxilium supernaturale, aliqui non. De his secundis unice, aut præcipuè ago in omnibus his disputationibus, quia omninò præscindere volo ab auxiliis, & gratia intrinsecè supernaturali, disputandis, ne aliquis præsumat, me disputare punctum, quod disputare prohibetur. Quapropter quando audis. DEUM scire per scientiam mediam, quid aget homo sub auxilio suæ gratiæ, non debes hoc intelligere de omni prorsus actu scientiæ mediæ; sed de illo, quem plerumque disputamus, nempe de illo, cujus conditionatum est opus ad salutem conducens.

XXVII. Secunda propositio. Hæc scientia jure vocatur media. Non est uni-

unicus simplex actus, sed resultans ex infinitis actibus virtualiter distinctis, unis affirmativis, alteris negativis, conditionati. Verumtamen ex illis octo combinationibus, quæ fieri possunt inter conditionem, ac conditionatū, duæ solæ sunt actus scientiæ mediæ Directæ. Probo primam partem. Duæ olim famosæ erant in scholis scientiæ divinæ. Una simpliciter necessaria, quæ *simplex intelligentia, scientia naturalis, ac scientia necessaria* vocabatur; nimirum, quæ sci. DEUS rerum omnium quidditates, atque prædicata essentialia. Altera *DEO libera, seu visionis*; nempe, qua intuetur DEUS existentiam mundi v. g. potuit enim non decrevisse hujus mundi existentiam, Sed alius, vel nullius, & tunc non haberet scientiam, qua intueretur existentiam hujus mundi; undè scientia hæc est DEO libera, quia idè videt mundum existere, quia ille existit, & idè à priori existit ille, quia DEUS voluit, & idè voluit, quia voluit, & hic sistitur; Ergo scientia illa, quæ aliquid participat unius, & alterius scientiæ; sed nequè est una, nequè altera, jure vocatur media, hoc est inter duas illas medians. At scientia, de qua modo, cum nequè sit scientia necessaria, sed contingens, (contingens quippè est, quod libertas A, si existat, potius eliciat unum actum, quam alium, & consequenter contingens est, quod DEUS sciat eam libertatem potius eliciaturam conversionem v. g. quam obstinationem) item cum non sit scientia libera, quippè quæ non resolvitur in ullum decretum efficacæ divinæ voluntatis ob rationes posteadandas; aliquid tamen participat scientiæ necessariæ, nimirum independentiam ab omni divino decreto subjectivè absoluto; aliquid item scientiæ liberæ, scilicet contingentiam, quia potuit non esse quoad talem actum determinatum, sicut potest non esse quoad talem actum determinatum scientia libera visionis; ergò jure vocatur scientia media.

XXVIII. Dixi quoad talem actum determinatum, quia sicut est antecedenter necessarium, quod DEUS sciat mundum existere, vel sciat eum non existere, & tamen unusquisquè ex his duobus actibus est contingens, quia libertas in-

differentiæ ad duo contradictoria est simul antecedens necessitas disjunctiva illorum. Ita est antecedenter necessarium, quod DEUS præcognoscat libertatem A, si existat, benè operaturam; vel præcognoscat eandem, si existat, non benè operaturam: Quapropter in hoc sensu disjunctivo non est contingens scientia media, quasi DEO possit deficere omnis actus illius, tum affirmativus, tum negativus. Est tamen contingens scientia media, quia unusquisque suus actus in particulari est contingens, licet ab æterno habuisset DEUS actum scientiæ mediæ negativum operationis liberæ, si ab æterno caruisset actu scientiæ mediæ, affirmativo illius. Ubi alia æquivocatio vitanda est. Aliud est, quod scientia media sit contingens, sive contingentis veritatis in sensu conditionato, quatenus contingens sit, quod ipsa enunciante suum objectum, hoc sit, vel non sit futurum (& hoc est falsum, illa namque, utpote Divina, est scientia infallibilis, & consequenter Metaphysice connexa cum eo, quod enunciat) aliud autem, quod sit contingens, seu contingentis veritatis in sensu absoluto, quatenus contingens sit, quod existat, aut non existat talis determinatus actus hujus scientiæ, eo quod omninò contingens sit, quod existente libertate A v. g. detur, aut non detur tale exercitium ipsius. Et hoc est, quod dicimus. Sic scientia libera visionis est contingens, seu contingentis veritatis, non quia contingens sit, quod DEO vidente me loqui, ego loquar, vel non loquar: est enim infallibilis ea scientia, & consequenter necessarium omninò est, quod ego loquar ex suppositione, quod illa detur; sed quatenus absolutè fieri potest, quod in DEO non detur ille actus scientiæ visionis, quia nimirum absolutè fieri potest, quod ego non loquar, & tunc certissimè non habebit DEUS scientiam de eo, quod ego loquor. Idem dico de certitudine, ac contingentia actus Fidei. Oportet ergò non confundere hæc duo, quæ valdè diversa sunt, cum unum sit impossibile, scilicet *fallibilis* scientiæ divinæ, & alterum necessarium, scilicet *contingentia* multorum actuum ipsius.

XXIX. Explico, & probo 2.^{am} partem

N 3

tem

tem, videlicet scientiam mediam non esse quid simplex, sed coalitum ex infinitis actibus virtualiter distinctis, non quidem quoad *entitatem* ob supra dicta, sed quoad *denominationem*: sicut enim actus scientiæ visionis liberæ sunt infiniti, non quia DEUS intueatur infinitas creaturas actu existentes, sed quia scit etiam per scientiam liberam, quænam sint illæ in particulari, in & individuo, quæ nec existunt, nec unquam existent (quæ certè infinitæ sunt) & unusquisque ex his actibus distinguitur virtualiter ab aliis, quia actus v.g. quo DEUS intuetur, me modò scribere, potuit esse absquè actu, quo scit Turcam habere Filium A, eo quod ego poteram modo non scribere, licet esset ille Filius Turcæ. Ità actus scientiæ mediæ sunt infiniti, non solum, quia sunt possibiles infinitæ voluntates, de quarum unaquaque scit DEUS per scientiam mediam, quid ageret confortata, & præventa suæ gratiæ auxilio, & quid non ageret; sed etiam quia unaquaque voluntas est capax habendi infinitas libertates (non copulativè, aut distributivè) ob infinitas combinationes & variationes, tum inclinationum, tum aversionum, quibus pulsari potest, tum temporum, tum ætatis, tum statuum, tum occasionum, & aliarum circumstantiarum: & de unaquaque ex his libertatibus, quarum est capax mea voluntas, scit DEUS clarè infallibiliter, & in particulari, quid ageret suo auxilio confortata, & quid non ageret, non obstante suo auxilio, si illa existeret in rebus. At unæ agerent bene, aliæ non; unæ agerent malè, aliæ non; & utrumque cum independentia unarum operationum ab aliis. Ergo actus scientiæ mediæ sunt infiniti, uni affirmativi quoad conditionatum, alii negativi. Demò hi actus invicem distinguuntur virtualiter, quoniam existente actu, quo præsciebat DEUS, quid responsurus esset S. Petrus, si rogaretur ab illa ancilla, poterat non existere actus ille, quo prænovit quid acturus esset Judas, si pulsaretur tentatione, cui succubuit: æmpè quia hic potuit non succumbere adjutus divinâ gratiâ, & hac cooperante, etiam si S. Petrus succubisset. Imo existente actu, quod scit DEUS, quid acturus sum ego cum libertate A, potest

non existere actus ille, quo scit DEUS me operaturum malè cum libertate D, quia fieri poterat quod bene operarer cum hac: licet operaturus essem malè cum illa, id est fieri poterat, quod Religiosus cum his, & illis cogitationibus, exemplis, occasionum carentia, benè operer, licet in alio statu, aliis cogitationibus, aliis inclinationibus, id est, aliis etiam libertatibus inadæquatè distinctis, malè operarer. Imo existente actu, quo DEUS scit bonum opus, quod operarer ego ipse cum libertate A in instanti A, poterat non existere actus ille, quo cognoscit idem bonum opus sub eadem libertate in instanti B: quia eadem individua libertas potest benè operari in uno instanti, & non in alio; est enim volubilis. Cumque idem discursus fieri possit, ac debeat divagando per omnes libertates possibiles, omniaque possibilia instantia, concluditur, infinitos, quos diximus actus scientiæ mediæ, esse invicem virtualiter distinctos, quamvis in sensu reali sint unica simplex entitas.

XXX. Undè caveas inter disputandum, ne adversarius supponat scientiam mediam esse rem aliquam simplicem, & ne supponat, esse determinatè ac semper actum affirmativum, aut semper negativum. Et hinc habes disparitatem ad simplicem intelligentiam, hoc est, scientiam necessariam DEI. Non enim fieri potest, quod cum Petrus sit possibilis, Paulus sit impossibilis, aut cum homo habeat hanc essentiam, equus non sit hincibilis, & hoc præscindendo etiam à reciproca connexionione possibilium; sed solis rerum essentiis inspectis; ergò actus scientiæ necessariæ, quo DEUS scit Petrum esse possibilem, nequit existere verè, & realiter, quidquid sit de nostris præcisionibus, absquè actu, quo scit Paulum esse possibilem, & reliquas veritates necessarias. Ergo ratio probans multipliciter actuum scientiæ mediæ, & scientiæ liberæ, non probat multipliciter actuum scientiæ necessariæ: ergo hæc est una simplex adhuc virtualiter, licet illæ sint virtualiter multiplices.

XXXI. Evolvamus jam octo illas combinationes insinuatæ num. 27. I. Si existat libertas A in instanti A, ipsa consenti-

ret in *A*, adjuncta & præventa per gratiam *DEI*. 2.^o Si existeret libertas *A* in instanti *A*, ipsa non consentiret in *A*, non obstante gratiâ *DEI* vocante. Hi foli duo sunt actus scientiæ mediæ directæ, quorum unus, vel alter necessario debet esse in *DEO*; Undè non solum est actus hujus scientiæ ille, qui plerumque adducitur in disputationem, sed etiam contradictorius quoad conditionatum sub eadem libertate. 3.^o Si non existeret in *A* libertas *A*, ipsa consentiret in *A* (hæc utpotè implicans in terminis non est scientia Divina.) 4.^o Si non existeret libertas *A* in *A* ipsa non consentiret in *A*: Nequè hæc est scientia media, quia non est contingens, sed necessariæ veritatis. 5.^o Similiter invertendo terminos. Si daretur consensus libertatis *A* in *A*, ipsa existeret in *A* (hæc non est scientia media, sed necessaria; nam hypothesis, scilicet libertatem *A* consentire in *A*, est metaphysicè connexa cum conditionato, id est cum existentia libertatis *A* in *A*.) 6.^o Si daretur consensus libertatis *A* in *A*, ipsa non existeret in *A* (nequè hæc est scientia media, sed propositio implicans in terminis.) 7.^o Si non daretur consensus libertatis *A* in instanti *A*, ipsa existeret in *A* (nequè hæc est scientia media directæ sed vel scientia media reflexa, si coincidat cum hac. Si *DEUS* prævideret libertatem *A* non consensuram in *A*, ipsam nihilominus conferret in instanti *A*, vel est scientia necessaria, scilicet, si reddat hunc sensum. Si omisso consensus procederet in *A* ex libertate *A*, hæc existeret in *A*. 8. Denique. Si non daretur consensus libertatis *A* in *A*, ipsa non existeret in *A*. Et nequè hæc est scientia media directæ, sed vel reflexa convertibilis cum hac. Si *DEUS* prævideret libertatem *A* non consensuram in *A*, non conferret illam in *A*. Vel est implicatio in terminis, si coincidat cum hac. Si omisso consensus proveniret in *A* ex libertate *A*, hæc non existeret in *A*.

XXXII. En extricatas tricas, quæ necti possunt ex mixtura vel oblivione harum octo combinationum prorsus distinctarum. Quod si alias instituas combinationes præponendo negationem copulæ præcipuè illarum propositionum, quæ est particula *Si*, dicendum est, quod si particula illa sumatur in sensu illativo, id est significante connexionem hypothesis cum conditionato, nullum

istarum combinationum extremum, est actus scientiæ mediæ, quoniam nullus actus hujus scientiæ affirmat, aut negat connexionem istam, sed pure, ac simpliciter enunciat fore, ut si existat ea libertas, quam assumit pro hypothesi, illa eliciat conditionatum: aut enunciat, quod pro suo libito non eliciet illud. Quocirca istarum combinationum extrema interdum erunt actus scientiæ necessariæ, interdum nullius, prout hypothesis assumpta, fuerit, vel non fuerit connexa cum conditionato v. g. *Non si existat libertas A, eliciet consensus*, est scientia necessaria sumptâ illâ copulâ in sensu illativo, quippe necessarium est, quod libertas *A* non sit connexa cum suo exercitio; sed indifferens ad utrumvis. Hæc autem inversa. *Non si existat consensus à libertate A, existet hæc*, est veritatis impossibilis, quia negat connexionem necessariam.

XXXIII. Sin verò dicta copula *Si* accipiatur in sensu merè conjunctivo, & quem vocant temporalem, id est præcisè significante coexistentiam hypothesis cum conditionato, à quovis alio abstrahendo, nullum etiam extremum istarum combinationum est actus scientiæ mediæ, quia omnis actus hujus scientiæ enunciat non meram coexistentiam conditionati cum libertate, sicut cum Cantu Galli; sed ulterius conductentiam libertatis adæquatè sumptæ ad illum tamquam causæ plenæ, ac citrà invincibilem determinationem ab alio, potentis illum causare, vel non causare. Si demum ea copula sumatur in sensu strictè conditionali prout in præsentiarum sumitur, & nuper explicui, tunc duo priora combinationis extrema possunt esse actus scientiæ mediæ nempe. *Non si existat libertas A consentiet. Non si existat libertas A non consentiet*: Secus reliqua.

XXXIV. Sed quid dicendum, si fiant aliæ octo combinationes mutando tempus v. g. *Si existat in A libertas A, consentiet in B*. Et similiter in cæteris? Et aliæ octo, mutando libertates v. g. *Si existat in A libertas A, dabitur in A consensus per libertatem B*? Et similiter in aliis? & aliæ octo, præscindendo ex parte conditionati à libertate assumpta pro hypothesi v. g. *Si existat in A libertas A, dabitur consensus*, præscindendo objectivè à causa;

per

per quam dabitur. Quid inquam dicendum de numero cumulo actuum resultantium ex his combinationibus, quas necesse sophistæ possunt? Resp: Omnes illos actus esse disparatos quoniam hypothesis prout talis nequè est connexa cum conditionato, nequè ut talis est causa plenè determinativa illius; ergo numerosus iste catus actuum subjacet legibus conditionalium disparatarum; ergo nullus ex illis est actus scientiæ mediæ directæ, quam modo disputo (& consequenter argumenta fundata in aliquo ex illis extra chorum saltant) quia nullus actus hujus scientiæ habet hypothesim disparatam respectu conditionati; sed integram & solam libertatem activam illius, quæ profectò non est disparata, sed plenè potens illum causare, aut non causare. Licet enim scientia, qua DEUS prævidit D. Petrum incepturum planctum, quando Gallus cantavit, videatur assumere hypothesim disparatam respectu conditionati, re tamen ipsa non erat quid disparatum in eis circumstantiis, quippè excitavit in Apostolo memoriam vaticinij Christi Domini, ut constat ex Marci 14. Et hæc memoria cum cæteris prærequisitis ad eum planctum salutarem constituit libertatem, ex qua manarunt illæ lachrymæ.

CAPUT III.

Propositio Tertia.

XXXV. **E**A sit. Hypothesis objectiva hujus scientiæ mediæ, nequit esse quidquam *Metaphysicè*, determinatè absoluteque connexum, vel oppositum conditionato, licet dicatur impedibile à libertate creata: Potest tamen esse, si expungatur aliquod ex his tribus adverbij. Undè potest esse res moraliter, aut physicè connexa, vel opposita ei conditionato. Potest item adjungi ex parte rerum ei hypothesi aliquid illis tribus modis connexum, vel oppositum conditionato, dummodo sit evitabile per libertatem, de qua loquitur ille actus scientiæ mediæ. Item hypothesis objectiva hujus scientiæ mediæ non est auxilium solum, sed indispensabiliter debet esse tota, & integra libertas creata individua, & singularis secundum omnia sua constitutiva positiva, &

negativa. Undè secundum spontaneam carentiam divinæ volitionis flectendi irresistibiliter Voluntatem creatam, in unam partem determinatè; secundum Omnipotentiam, 2.^{um} decretum hujus applicativum, Decretum determinativum individuationis, 2.^{um} gratiam interioriorem excitantem, & prævenientem, quamvis hæc gratia non includatur semper in hypothesi objectiva omnis actus scientiæ mediæ. Deniquè hæc scientia est impedibilis, atquè determinabilis per illam solam libertatem, de qua loquitur, & quam assumit pro hypothesi. Tam certa sunt omnia hæc in schola scientiæ mediæ, quam prorsus necessaria ad multas æquivocationes contrarias dissipandas, quæ peccare solent, oblivione alicujus ex his prædicatis.

XXXVI. Probo primam partem. Nulla scientia, cujus veritas est omnino necessaria, vel omnino impossibilis est scientia mediæ, quia jam monui hanc esse contingentem. At omnis scientia conditionalis, cujus hypothesis objectiva eis tribus modis connectitur cum conditionato, licet aliundè impedibilis sit ea hypothesis, est scientia veritatis necessaria, si sit affirmativa, & veritatis impossibilis, si negativa fuerit. Item omnis scientia conditionalis, cujus hypothesis objectiva fuerit eis tribus modis opposita conditionato, licet aliundè hypothesis sit impedibilis, est veritatis impossibilis, si fuerit affirmativa; veritatis autem necessaria, si fuerit negativa, nempe quia, si sit impedibile, si non, fundamentum connexionis, aut oppositionis essentialis, est prorsus necessario verum, quod existente fundamento illius connexionis, existet terminus; ergò nulla scientia conditionalis, cujus hypothesis objectiva eis tribus modis est connexa, vel opposita cum conditionato est scientia mediæ, licet hypothesis illa aliundè sit impedibilis à libertate creata. Sic scientia hæc. *Si detur meus actus liber, non latebit DEUM*; non est scientia mediæ, licet hypothesis objectiva sit à me impedibilis; ergo hypothesis objectiva scientiæ mediæ nequit esse quidquam *Metaphysicè*, &c.

XXXVII. Ob rationem oppositam potest esse hypothesis objectiva hujus scientiæ illud connexum, vel oppositum cum